

# PALAESTRA LATINA

## S u m m a r i u m

*Imaginulae Clarefianae*  
(L. Marcos).

*De Actione Oraforia*  
(D. Restrepo).

*Sursum Hispania Mater!*  
(R. Sarmiento).

*Cursus Gymnasticus*  
(M. Zubiria).

*Molae Subterraneae*  
(Viator).

*Quaesitio[n]es Litterariae*  
(G. Cabello).

*Mirifica portenta*  
(L. Marcos).

*Memorabilia quaedam belli Hispanici*  
(J. M. Jiménez).

*Senecae et Lucani Undevicesima Centenaria  
Commemoratio*  
(H. Martija).

*Ænigmata*  
(Fr. Palata).

*Æpheborum Exercitationes  
Bibliographia*  
(J. M. Jiménez, H. Martija, A. Herrera).

# IMAGUNCULAE CLARETIANAE

UNDIS ANTONIUS ERIPITUR

In ponto juvenis, Phoebeis ignibus actus,  
Aequoreis avidus frigora quaerit aquis.  
Demulsis Zhephiro se fidus credidit undis;  
At procul horrendum rauca procella boat.  
A longe veniens, et nantem surripit illum,  
Et comitum ex oculis abstulit unda minax.  
Tum mersus, mare, tum fluitans, ferebatur in altum,  
Vasto se praebens ludibrium pelago.  
Ingemit, ac Superum memor, in caelestia lumen  
Vertit, et auxilio labitur alma polo  
Virgo Puerpera: jusserat, undaque littori ephebum  
Virginis imperio, reddidit incolumem.  
Nec Deus absumi tulit atro gurgite CLARET,  
Qui innumeratas animas eximeret barathro.

LUDOVICUS MARCOS, C. M. F.

## MONITUM

Socios meminisse volumus PALAESTRAM  
LATINAM *solutionem petere* ab omnibus commen-  
tarii Latini subnotatoribus.

Ut quam primum solutionem ad Administrato-  
rem Palaestrae mittere possitis, sciatis oportet  
premium subnotationis annuae esse 10 pesetarum in  
Hispania et Lusitania, 11 pes. in America et Philip-  
pinis Insulis et 12 pes. in reliquis civitatibus. Ve-  
niānt cito solutiones annuae atque novae subnota-  
tiones. Pro omnibus, subnotatores humanissimi,  
gratias referimus quam plurimas.

# PALAESTR A L A T I N A

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 10 pesetarum in Hispania et Lusitania, 11 pes. in America et Philippinis Insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus — Premium mittatur oportet ad Administratorem: Alagón (Zaragoza) Misioneros-España.

## DE ACTIONE ORATORIA

Prolusio Academica in Consessu Ecclesiastici ephelii habita



xiguum munus suavissimae DEIPARAE, Matri et Reginae nostrae, oblati — Reverendissimi Domini ceteri, benevoli auditores — in votis habuissemus proprio marte elaborata opera proferre. At hora fructuum nondum advenit: satis putaverimus hoc lapsu temporis nos fecisse, aliquot si flores vireta invisentibus offeramus...

Iaque declamandis magistrorum artis nonnullis orationibus ac poëmatis continebitur opella nostra. Quod si apte ac decore perficere datum erit, haud certe ingratum vobis, nec nobis inutile fecisse credemus.

Etenim maximum quid in declamatione oratori positum, esse qui ambiget puto neminem. Id quod mihi liceat mentibus vestris paucis repraesentare, ut rei memoriam reperatis.

\* \*

Duplici opere declamatio constat: voce, et gestu corporis: utrumque vero vitam eloquentiae conciliat atque efficacitatem. Nam voce, si ea, arte moderatrice atque animi motibus inflammantibus, eliciatur, cogitationes quasi vestitus propriis indumentis; gestu vero oris, oculorumque ac brachiorum, imo totius corporis, ea exprimimus sensa quae verba non nisi insinuant; eamque exercemus quam «eloquentian corporis» dixit Tullius.

Rogatus Demosthenes quid sit in arte oratoria primum, «Actio»—respondet. Iterum rogatus quid sit secundum: «Actio»—repetit. Non sine admiratione querunt: Quid vero tertium?—«Actio!».... Notum porro est actionis nomine non, uti apud nos, membrorum motus significari apud veteres, sed ipsam dicendi operationem, exercitium quo agit orator orationemque profert: nimirum declamationem.

Et re quidem vera: si ea apta non sit; si aut vox ingrata, dissona, monotonica, incondita; aut gestus rigidus, violentus, demissus, optime composita oratio frigescet, contemnetur. Dictione vero vivida, ornata, apprime intentae vocis ac prolati gestus, dum vel vultus, oculi, manus ipsae loqui videantur, etiamsi mediocris concio excellet, permovebit, erit in pretio forsitan summo.—Quod si ad optime concinnatam orationem optima accesserit actio, compertum habetis auditores, «tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere...» (1). Proditur vox mens tota; gestu, animi sensus profertur penitus: nam «Imago animi vultus est, indices oculi» (2) Iaque vox ac gestu orator gaudet, dolet, irascitur, timet, sperat, horret, amat, exsultat, triumphat. Atque eloquentia hac corporis, animis adfert solatium, adhortationes, reprehensiones, spiritus, furorem, pacem, suavitatem...

Sed vobis, ornatissimi audientes, sat, est. Faxit VIRGO Sedes Sapientiae, ut nostro labore, excellentium auctorum quos producturi sumus minime obscuretur gloria. DIXI.

D. RESTREPO S. J.

(1) Tull.—Pro Archia, VII (*de alia re*). (2) Id.—Orat., XVIII.

# SURSUM HISPANIA MATER!

Dimovit tenebras jubar  
Tandem purpureum, quas niger horrido,  
    Tartessi imperium super,  
Densavit temere spiritus halitu.  
Metam lucifer orbitis  
Invectus rutilis attigit arduam,  
    Caelum lumine vestiens  
Jandudum roseo, aequor et incliti  
    (Rubri, heu facta satellitis!)  
Terras irrigues flumine sanguinis  
    Laetae munere Patriae  
Bis deno subolis quae juga concutit.  
    Cladis fulmine territus,  
Tactus luce velut bruchus in abditis,  
    Lustrum se rapit advena  
Sedes Hesperiae vertere perfurens,  
    Frustra !En Dux volat impiger  
Calonis furias frangere bebrycis:  
    Summi Numinis angelus  
Jam velox valido Francus it agmine  
    Contemnens pelagi minas,  
Pennatis remeans aethera pupibus;  
    Turmas, viribus integer,  
Confisas numero non pavet improbas  
    Fraterno saturas nece,  
Tectorum celeres praesidium igneis,  
    Labris sacra vomentibus,  
Bombarda horrisono quas jacit impetu  
    Tutum quaerere glandibus.  
Astus quot superat, quot querimonias!  
    Fatum fortiter invidum,  
Adversam ille virum perdomuit fidem  
    Vinci pectore nescio  
Et quae fronte animi nubila dissipat.  
    Belli sic dea laureis  
Ornavit foliis tempora Vindicis  
    Acris !Mater et exteri  
Exutis domini Patria vinculis,  
    Juris robore praepotens,  
Regni nunc aperit una propagines  
    Terris, aethere et aequore:  
Sanctum quaque novis termitibus solum et  
    Vernat Palladis arbore.  
Cives bellifero pulvere sordidi,  
    Vos, o, magnanimum simul  
Diro mersa cohors funere Martyrum,  
    Plausus tollite gaudiis:  
Tota jam placide Christus Iberia  
    Vincit, regnat et imperat!

RAYMUNDUS SARMIENTO, C. M. F.

# CURSUS GYMNASTICUS

Hor. Carm. lib. I. 2 (1)

Iliae dum se nimium querenti  
Jactat ultorem: vagus et sinistra  
Labitur ripa (Jove non probante)  
Uxorius Amnis.  
Audiet cives acuisse ferrum,  
Quo graves Persae melius perirent.  
Audiet pugnas vitio parentum  
Rara juventus.

**Iliae:** Fuit Ilia Romuli mater, eadem Rhea quoque et Silvia nuncupata. Sepulta est ad ripam Anienis qui in Tiberim influit, vel, ut alii volunt, in Tiberim, Amulii jussu, projecta est, quare uxor Tiberis a poëtis vocatur. Mirum in modum queritur de Julii Caesaris nece qui ab ea originem duxit ut unus e Romuli nepotibus ei cui promiserat se ipsius ultorem fore ac Urbem destructurum.—**Vagus:** Errans extra viam seu alveum.—**Uxorius Amnis:** Tiberis-Metaphora. — **Ferrum:** Synecdoche, ferrum pro armis, materia, ex qua facta est res, accipitur pro re ipsa. Loquitur poëta de bello civili.—**Audiet:** Juventus, olim nascitura, rarioꝝ propter bella civilia scelere patrum suscepta. Audiet Romanos in se convertisse arma quae melius in Persas inimicos, fuissent versa. Juventus dicitur «rara» eo quod bellum sit juvenutis interneccio, dum e contra pax ejusden conservatrix dicitur. Juventus pro juvenibus, synecdoche. Bellum civile describitur ut poena praecipua ob Caesarem interfectum imposita.

Quem vocet Divum populus ruentis  
Imperi rebus? prece qua fatigent  
Virgines sanctae minus audientem,  
Carmina Vestam?  
Cui dabit partes scelus expiandi  
Jupiter? tamdem venias, precamur,  
Nube candentes umeros amictus  
Augur Apollo.

(1) Cfr. núm. 54.

**Quem vocet:** Quod remedium tot ac tantis calamitatibus applicabitur? Haec est secunda odae pars. Post aliquam haesitationem poëta eam solvit quatuor numinum invocatione, Apollinis, scilicet, Veneris, Martis atque Mercurii. — **Minus audiētēm:** Caesar Vesta sacerdos fuisse traditur (Cfr. Ovid. 3 Fast.) ideoque Vesta merito hymnos atque supplicantium preces rejicit propter sceleratam Caesaris caedem. **Expiāndi:** Expiare autem scelus est delere illud ac purgare: porro expiavit necem J. Caesaris Octavius Angustus sui patrui percussorum interfectione. — **Amictus:** Qui habet umeros candidos, nube velatos. *Amictus* est participium a verbo amicire: accusativus autem *umeros* ponit graecorum more qui subaudire solent in ejusmodi locutionibus praepositionem *catá*. h. e., *secundum* umeros. Locutio graeca. En tibi sensus hujus versus: est *pulcher vultu*. Poëtae solent exhibere deos nube obvolutos cum in terras labuntur. Dii enim cum ad homines veniunt, non temere videri volunt, ideoque descendunt nube amicti, eaque candida: *Candida* namque sunt fausta dum nigra infausta. — **Augur:** Qui auguriis et divinationibus praesidet. Augures ex avium cantu, interdum etiam e volatu, futura praedicebant ac voluntatem scrutabantur. Apollinem primo loco implorat, quia Aeneae ac Trojanis, eorumque nepotibus Romanis, amicior censebatur. Augustus praeterea Apollinis filius esse jactabatur. (Suet. c. 94 Oct.). —

Sive tu mavis, Erycina ridens,  
Quam Jocus circum volat et Cupido  
Sive neglectum genus, et nepotes  
    Respicis auctor.  
Heu nimis longo satiate ludo!  
Quem juvat clamor, galeaeque leves  
Acer et Mauri peditis cruentum  
    Vultus in hostem.

**Erycina:** Venus dicta est Erycina a monte Eryce, ubi praecipue colebatur. Fuit mater Aeneae a quo Juliorum familia. — **Jocus et Cupido:** Hi duo ab Ovidio vocantur filii Veneris. (Cfr. Ovid. 4 Fast.). — **Auctor:** Mars merito Romanorum auctor et parens vocatur nam pater fuit Romuli unde illi orti sunt — **Genus:** Populus Romanus cuius genitores sunt Mars atque Ilia seu Rhea. — **Satiate ludo:** Bellum est Martis ludus et oblectamentum — **Satiate igitur** — ait poëta, satiate bellis civilibus — **Yronia vel aliis antiphrasis.** Bellum quidem ludus est sed ludus crudelis, cruentus lacrimas easque amarissimas pariens. — **Acer:** Hoc in loco meminit pœta Maurorum praecipue fortitudinem in bellis contra Jugurtham, Jubam cert. — **Mauri:** Sunt Mauri Africae populi quorum regio Mauritania dicta Hispaniae opponitur. —

Sive mutata juvenem figura  
 Ales in terris imitaris, almae  
 Filius Majae, patiens vocari  
 Caesaris ulti:  
 Serus in caelum redeas, diuque  
 Laetus intersis populo Quirini;  
 Neve te nostris vitiis iniquum  
 Ocius aura  
 Tollat; hic magnos potius triumphos,  
 Hic ames dici pater, atque princeps:  
 Neu sinas Medos equitare inultos,  
 Te duce, Caesar.

**Sive mutata...**: Affirmat poëta Mercurium exuta dei figura quam in Olympo gerit, imitari in terris juvenem Octavium, hoc est, ejus humanam figuram induere et sub ejus vultu nobis apparere. Quam mirabiliter in his versibus poëta Augusto assentatur quem Mercurii cognatum facit.—**Ales**: Alae Mercurio dantur, quia deorum nuntius est atque interpres; vocantur hae alae vulgo *talaria*, nam praeter illas, quas cassidi affixas gerit, alias habet pedibus. Metaphora ab avibus desumpta.—**Filius Majae**: Mercurius filius Majae.—**Patiens vocari...**: Hellenismus pro patiens «te vocari Julii Caesaris ultiorem».—**Serus redeas**: Dicitur *serus* pro *sero*. Virgilius dicit quoque *ire matutinus* pro *ire mane*. Redreas est modus optativus.—**Quirini**: h. e. Romuli. Sic dictus est Romulus propter hastam quam semper gerebat; haec namque hasta lingua Sabina *quiris* appellatur.—**Hic...** hic: Romae, in terra. Anaphora. **Ames dici**: Graeca locutio atque archaica pro «ames dici patrem atque principem».  
**Medos**: Parthi erant hostes nominis Romani—Augustus hoc tempore illis inferre bellum constituit, nam Crassum interfecerant et signa seu vexilla Romana retinebant; permoti autem Augusti fama vexilla ultro ad eum remiserunt. *Medos* vocat quia Mediae regio primum a Medis, deinde a persis, postremo ab ipsis Parthis occupata est. Synecdoche, Parthi pro omnibus populi Romani hostibus, species pro genere.  
**Inultos equitare**: Ne vagentur impune pro suo arbitrio quocumque placeat, Parthi ex equis maxime decertabant.—**Te duce, Caesar**: Ex his facile intellegi potest quo anno scripta sit haec oda, scilicet post pugnam philippensem. Caesar, Octavii Augusti patruus, anno ab U. C. 710 interfactus est in senatu a conjuratis. Eodem anno Tiberis exundans partem Urbis evertit cet.

M. ZUBIRIA, C. M. F.  
 Palaestrae Latinae Moderator.

# MOLAE SUBTERRANEAE

- VALENS. Nihil sane. Sed praefectus centurio excubiarum se nocte praeterita circumeuntem vocem pueri acutam prope forum audisse contendit. Festinans accessit et hominem quendam per tenebras aufugientem animadvertis; persecutus vestigia ejus amisit. Sed mentem meam subit suspicio.
- PROBUS. Loquere cito, loquere! (*Anxietate exagitatus*).
- VALENS. Talem rapinam perfidere minime potuit homo unus. Criminis conscos esse puto et ego inquisitiones instituerem non in longinquuo, sed inter muros domus tuae ipsius.
- PROBUS. Quid vis significare?
- VALENS. Fidusne servus est Numida?
- PROBUS. Numidam, quamquam est idololatres, existimo fidum. Dolore examinatur de Caecilio amissio; maerore citatus totas aedes percurrit et ex omnibus quaesivit puerum.
- VALENS. Sed hac ipsa re augetur mea suspicio. Abhinc quinque annos vespere, antequam Roma praefectus sum ad exercitum, usque ad medium noctem remansi in palatio tuo et ad mansionem meam reverti properavi. Erant autem Idus Februariae.
- PROBUS. idus Februariae, quo die Narves aufugit!
- VALENS. Prope amphitheatrum clamari audivi ut in rixa et vidi hominem propere aufugientem. Lunae splendor erat clarus et admirabar hominis figuram. Pculo post oblitus sum rei gestae; sed heri, cum domum tuam vix ingressus sum, simul atque Numidam animadvertis, statim memor fui rei illa nocte gestae. Nescio, an ipse fuerit Numida. Servus extra domum et tali hora... *Numida (secum loquitur)* Forti animo esto! In fugam te conjice citissime! (abit.)
- PROBUS. Numidal Numida! (*mora. Probus surgens clamat*): Numida!
- VALENS. Retinet eum! abeo. (abit.).

## SCAENA SEPTIMA

PROBUS (solus)

Num fieri potuit, ut in familiae meae sacrario alerem proditorem? Et quid criminis ipse commisi, ut beneficiorum immemores mihi non retulerint gratiam? (*clamores dissoni procul audiuntur*) Quam dissonos clamores... Fortasse riae exortae?

## SCAENA OCTAVA

VALENS ET PROBUS

- VALENS. (*intrans atrium*) Numida evasit!
- PROBUS. Quid dixisti?
- VALENS. Ostiarius ab exitu arcere voluerat Numidam, qui sica capta ex janua erupit atque aufugit.
- PROBUS. Nemone ejus vestigia perseguitur?
- VALENS. Clamore ostiarii exorto turba servorum concurrit subsequens Numidam. Speremus... (*e longinquo tubarum sonus auditur*). Sed ausculta! Tubae sonant de Capitolio! Nona hora est. Eundum erit tibi in senatum. Te contra aram Victoriae erigendam orationem habiturum spero atque confido.
- PROBUS. Quam dire animus meus tentatur et cruciatur! Quanta procella in animo patrio agitatur! Cur hoc ipso die, qui a me desideratus erat dies certaminis atque victoriae gloriosae, acerbissimos animi patrii dolores perferebam?
- VALENS. Hoc tentamen iibi, (*avuncule*), paratur, ut virtus tua eo mirabilior sit, quo sp'endidior erit honor hoc die tibi concessus (*a Deo.*) Caelum et terra intuentur te; omnium christicolarum animi summo studio prosequuntur te; inferi fremunt auditu nomine tuo; eorum fautores tuam necem meditantur, ut vincant ipsi. Veni, quaezo; Imperator, patres, nobiles, multitudine hominum immensa te exspectant in curia. Deus custodiet Caecilium.

SEQUITUR.

# QUAESTIONES LITTERARIAE

GENERIS DIDACTICI UTRUM SINT SPECIES LITTERAE? Neque dubitandum est litteras generis esse didactici species, his saltem potissimum de causis. Quemquam in novam notitiam aut cognitionem litteris inducere atque res penitus ignotas alicui per epistulas ostendere solemus. Aliquid semper litterae docent; etiam consolatoriae quae parum esse didacticae videntur, nos in multis saepissime erudiunt quia nobis sive consolationis aut patientiae novas vel abditas, sive oblitas vel nimium leviter perpensas rationes proponunt. Quidquid res oblitas nostram in mentem revocet, nos utique docebit, veluti omne quod novas et ignotas adaperiat. Nam ut rectissime dictum est in pervulgato illo axiomate: «Tantum scimus, quantum memoria retinemus».

RERUM AUT QUAESTIONUM ORDO IN EPISTULIS. — Distinguenda in primis epistulae sunt. Duplex praesertim est epistula latina, alia familiaris, alteraque elaboratio. Illa, inquit Heineccius (\*) plures plerumque res complectitur. Haec vero de uno themate diligentius agit. Consentaneum quidem est quaslibet ex his epistulis conscribentibus, modum aliquem aut ordinem servare sive in quaestionibus proponendis. sive in rebus evolvendis. Sic igitur quae inter se aliquid commune habeant, aut e converso quae plane dissimilis sint naturae congregentur. Id enim dabit elegantem connexionem. «Quo magis familiaris nomen tueri debet epistula scripserat M. Gesner (1) eo minus de ordine laborandum. Adsidemus scribere ante incipimus saepe, quam, quid scribere velimus, cogitavimus. Ordinis itaque sola hic illa lex est quae faciat, ut facilius intellegantur: cui illa accedit, ut, si qua molesta sunt, iis placide accipiendis præparemus lectorem et subjungamus etiam jucundiora. In responsoriis nihil commodius et certius quam sequi ordinem ejus epistulae, cui respondemus cui vel intexi vel subjici possunt alia».

Melius servari poterit ordo in elaborationibus, eo quod in eis una con-

(\*) J. Gottl. Heineccius - *Fundamenta stylis Cultioris - Pars II<sup>a</sup> Cap. I S-V pag. 188 et sequent.* (1) M. Gesner in *Notts et Animadversionibus ad Fundamenta stylis Cultioris* Heineccii pag. 189 et seq.

tinetur propositio, saltem primaria aut principalis ad quam, tamquam ad caput aut centrum ceterae omnes secundariae referuntur. Hujusmodi sunt gr. ex. consolatoriae, gratulatoriae, commendatitiae eucharisticae exhortatoriae etc. Ut epistulae ordinatae exeant, breves sunt, adeo scripsit Seneca (2) «ut eas sinistram manum implere haud debere». Si nimis fusae aut longae sint quamvis plus oblectamenti familiaribus afferre, minorem tamen ordinem continere videbuntur.

STYLUS IN EPISTULA.—Epistolicus stylus idem pro omnibus epistulis esse nequit. Etsi cunctae stylum clarum, planum ac serinone quotidiano paulo accuratiorem expostulent, seu ut Demetrius Phalereus (3) monet, «ex tenui et venusto permixtum»; juxta naturam tamen uniuscunusque epistularis generis et proprius adhibendus est. «Familiaris» ergo epistula simplici stylo conscribenda est; hanc legem ait Gesner (4) ipse sibi dixit Cicero. (Lib. IX. Epist. 21). Unde in epistulis familiaribus non probatur nimia atque anxia scribendi cura. «Elaboratores», si petitoriae, commendatitiae aut eucharisticae sint mediocrem, si vero gratulatoriae exhortatoriae aut comminatariae stylum vividum et concitatum exoptant. «Scientificae, literariae, civiles» et reliquae magni momenti quae ad magnos viros remittuntur gravem aut elegantem exigunt. Hinc qui de rebus gravissimis subtiliter disputant, asserit Gesner (5), scribunt quidem, verum non epistulas sed tractatus vel dissertationes quibus «to ja'rein» praemissum est, ut ait Demetrius Phalereus (6). Hinc facile patet longissime ab epistulico dicendi charactere abesse Senecae epistulas, in quibus nullum morati styli vestigium occurrit. Unde, ne quidem epistulas has esse sed locos communes et variarum disputationum rhapsodias nonnulli arbitrantur».

Hae tandem pro sua natura et rei expositione longitudinem aut extensionem moderari debent.

GREGORIUS MARTINEZ CABELLO, C. M. F.

(2) Epist. X L V<sup>a</sup> — (3) De Elocutione N. 244

(4) Opus cit. Pars I<sup>a</sup> Cap. II S-LXI pag. 161 et seq.


(5) Ibidem. — (6) Loc. cit.



in Latinum transla-  
ta a R. P. Ludovico  
**M A R C O S**  
**C. M. F.**  
Villae Rosarii in  
Argentina litt. Lat.  
Professore


#### XIV

Tandem, pabulis destituto mo-  
tore, constituit iners helice. Tunc  
machina, verso capite, delabitur  
in praeceps, dum Titus terrore  
mentem concussus: hei mihi il-  
bique, Melampe, dixerat, futuris  
escae piscium.



#### XV

Horrendo lapsu mari coilditur  
aëroplanum, undarumque ictu  
decepitur. Tunc venator et canis  
caelitus in pontum corruentes  
digna prorsus spectaculo edi-  
dere.




#### XVI

Attamen, cum alterutra divulsa  
fluitaret ala, eam naufragus ute-  
que nando consequitur atque  
conscendit; eique insedere, mor-  
tem quam modo miraculose eva-  
serat, praestolans.




## XVII

Non multo post, dum alter gemeret, latratibus auras impletis, alter confectus aerumis multa secum volveret, brevius spe salutem ambo adipiscuntur, cum se demum perituros exsultabant.




## XVIII

Subtus alam ictu potenti concurssi rursus in aquas prolabuntur; at felici eventu phaselus submarinus emergens sublevat utrumque eximitque avido gurrite.



## XIX


Reclusa superiore fenestra adfuit ignotae linguae marinus custos, qui manibus et nutu imperat Tito ut cum Melampo phaseium descendat. «Nihil aliud mihi erat in votis», ait secum Titus, clementer inhibens manu placansque custodiae minas.



## XX

Sistere jubetur Titus coram naviculae praefecto, a quo sub Germano vexillo jure belli retentos esse comperit. Ille vero Hispanum se testatur ex syngrapha quam forte secum attulerat.

Sequitur.



# **Memorabilia quaedam belli Hispanici**

**Dulce et decorum est pro patria mori** <sup>(1)</sup>

## **Christianus fervens ac miles strenuus**

Johannes Jesus Jaurreta Baleztena paulo ante mortem haec memoranda verba protulit: Quinque abhinc annis hanc horam ardenter expectavi: nunc pro Deo, pro Patria et pro Rege laetitia plenus occumbo.» Et paulo post haec adjungit: «Imponite, quaequo, rubrum pileum super caput meum, manusque meas sacra rosarii corona nectite». His dictis in pace Domini quievit annum undevigesimum natus.

Ac incepto bello hispanicico adversus communistas strenue pugnaverat, atque non multis ante mortem diebus haec parentibus scripsit: «In prima acie adhuc persevero et quamvis periculum in dies auget, gaudium quoque accrescit cum moccum recogito me Patriae ac Religionis vexillarium esse. De hoc traditionis milite merito adserere possumus: Consummatus in brevi explevit tempora multa».

## **Quid de me Deo referam?**

Joseph Falcensis, ita enim appellabatur, quod «Falces» in Navarra ortus esset, in valetudinario jacet ex vulneribus in bello admissis. Heri paulo ante actionem chirurgicam pro viribus cum valetudinaria certabat ne traditionis militum subacula exueretur.

Hodie, cum jam mortem ad se progredi praevidet, ab ipsa valetudinaria ingenuitate quadam quaerit quid de se Deo referat cum ad Deum pervenerit.

Tunc illa: Dicito te in causa justa pro Deo pugnando occubuisse.. te domi vietam pacificam ducere omnium optimum;

sed quondam scivisse perversos homines exiisse qui Ecclesias ignibus mandarent, sacerdotes et optimos homines occident, effigies sanctorum ac praesertim Christi Redemptoris nostri ex ecclesiis et ephebeis exularent..., quae omnia ubi comperta habuisti te dixisse: *Haec ego non patiar, non feram*» atque arma tunc in eos intulisse ac demum gloriose pro Deo certando periisse».

Tunc aegrotus «Haec referam, haec referam», exclamavit et continuo expiravit.

## **Sacrum Cor Jesu, Tu Regnabis**

Raphaël Irigoyen, miles traditionis, grave vulnus Villantiquae accepit. Per sex dies notissimam illam in Cor Jesu

cantiunculam «*Sacrum Cor Jesu, Tu Regnabis*» saepissime modulavit, discrimine vitae perdurante. Itaque vulnerum

(1) Noster humanissimus comes, Josephus M. Jiménez, ex opere recens edito ab Antonio Pérez de Olaguer, cui titulus «Los de Siempre», quaedam collegit facinora de bello hispanicico quae lectorum, ni fallor, aures mulcebunt.

dolores leniebat. Declaravit se velle mori hanc ipsam cantiunculam proferendo. Et revera laboribus magna patientia sublatis, cum jam exanimis videbatur, in Cor Jesu magna voce cecinit vulgatam cantiunculam quam ubi finivit, hac in

terra in aeternum tacuit, sed in caelo quo animam ejus advolasse credimus gloriam et virtutem Cordis Jesu, Redemptoris nostri ac Regis populorum, canere coepit.

### Mater, ille bene se habet

Die 8 m. Aug. a. MCMXXXVI, Pinæ Iberi fluminis prope Caesaraugustam contrarū exercitus convenerant, ex una parte milites vestis caeruleæ castrametati erant, ex alia milites rubri pilei, qui sub Dominae Mariae a Nibibus praesi-diis e Tafalla in pugnam adversus infestos Patriæ hostes exierant.

Huic cohorti traditionis adscriptus erat Angelus Martínez cum filio. Hac die pugnatum est viriliter et pater cum ad hostes virili animo accedebat mortem invenit. Hanc tamen in morte habuit dulcedinem ut filii præsentia frueretur. Filius enim ubi patrem occumbere animadvertisit ad eum sublevandum prope-ravit atque cum patre officiis pietatis functus est...

Fama hujus pugnae ad parentes et necessarios pervenerat omnesque de for-tuna suorum perturbari cooperant.

Paucis post diebus Gregorius, hoc enim nomen erat filio, facultate primo-rum ordinum in domum redit. Cui mater obviam procedens, aliquid jam præsagians dixit: «Et pater, ubi est? quare et ipse tecum non redit quoque? Annon in laborioso ac terribili certamine, de quo fama est, gravia vulnera accepit an e contra bene valet?»

Tunc filius sereno ac forti animo: «Non est, ait, quod anxia sis, mater, ille bene se habet... ille enim in aeterna Patria est...» Et continuo mater et filius pias pro patre preces fuderunt.

\* \* \*

Si laudandus est qui mortem pro pa-tria oppedit, strenui milites traditionis laudandi sunt, qui pro patria non dubi-tarunt sanguinem generosum fundere. Atque si primis saeculis sanguis marty-rum mundum a pagano cultu redemit,

sanguis militum qui pro Deo et pro Patria fusus est, nonne Hispaniam, Europam, mun dum universum a communistarum potestate et seductionibus liberabit?

J. M. Jiménez C. M. F.

# Senecae et Lucani Undevicesima Centenaria Commemoratio

Non incongruum videtur hoc anno, cum peracto bello civili, amicitia inter Italiam et Hispaniam firmiter est constituta, Romanas simul et Hispanicas glorias recolere quo altius animis inhaereat fraterna horum populorum conjuncio. Hoc namque anno novendecim saecula transacta sunt ex quo e vita migravit Marcus Annaeus Seneca, ejusque nepos Lucanus primam lucem aspergit.

Marcus Annaeus Seneca, Rhetor appellatus, ex nobili familia Annaeorum, Cordubae in provincia Baetica natus est equestri genere, anno 54 ante Christum, mortuusque est anno 59 p. Christum. A prima juventute studiis deditus, multos annos Romae permansit, ubi illustre sibi nomen comparavit ut orator et rhetorices praceptor. Optimis oratoribus et rhetoribus valde familiariter usus, magnaue illis amicitia devinctus est. Tantaque pollebat memoria ut extrema etiam senectute reddere posset quae in juventute audierat; quare Cordubam reversus, filiorum hortatu decem libros *Controversiarum* collegit quorum aliqui perierunt, et alium cui titulus *Oratorum et rhetorum sententiae, divisiones, colores*, quae opera ad cognoscendam illius temporis artem oratoriam inter praecipuos fontes recensentur.

Non desunt critici qui Senecam Rhetorem corruptionis Romanae eloquentiae leviter insimulent; at nihil longius a vero potest abesse. Qui hoc adserunt, procul dubio *Controversiarum* non legerunt *Praefationes*, in quibus acerrimus vitiorum litterariorum censor et in Dialogis Ciceronis versatissimus apparet. Non modo Latine loquitur eleganter, verum oratorum imagines depingit, Tulliano dignus ingenio.

Judicia de ejus temporis oratoribus severissima sunt. Arellium Fuscum reprehendit exquisito dictionis cultu, et molli verborum compositione; itemque in Albutio ornatorum excessum reprobat. De rhetore Musa ait “multo pollere ingenio sed judicio nullo, quia turgiditate trahitur”.

Contra declamatores invehitur, eosque in *Praefatione* libri quarti damnat his verbis quibus Montanum Voltienum loquentem inducit: “Itaque velut ex umbroso et obscurio prodeuntes loco clarae lucis fulgor obcaecat: sic istos a scholis in forum transeuntes, omnia tanquam nova et inusitata perturbant, nec ante in oratorem corroborantur, quam multis perdomiti contumeliis, puerilem animum scholasticis deliciis languidum vero labore durarunt”.

In prologo *Controversiarum* filios suos laudat quod relictis illius temporis exemplis oratoriis, exempla saeculi praecedentis cognoscere satagunt. «Ut possitis aestimare quantum cottidie ingenia decrescant, et nescio qua iniquitate naturae, eloquentia se retro tulerit: quidquid Romana facundia habet quod insolenti Graeciae aut opponat aut preferat, circa Ciceronem effloruit....In deteriorius deinde cottidie data res est....Quis aequalium vestrorum, quid dicam satis ingeniosus, satis studiosus, immo satis vir est?»

Scripsit etiam Seneca *Suasorias* et *Excerpta* librorum deperditorum, necnon *Historiam bellorum civilium*, ex qua pauca supersunt fragmenta.

Editio princeps Marci Annaei Senecae Venetiis (1490-92) facta est; optimae vero ab A. Kiessling (1872) et H. J. Muller sunt editae.

Commentatores inter hispanos scriptores non paucos nec exigui momenti habuit Seneca, in quibus eminent Ludovicus Vives, *Controversiarum imitator*, Franciscus de Quevedo qui *Suasorias* vertit et prosecutus est, Covarrubias, Rodríguez de Castro, Patres Mohedani in *Historia litteraria Hispaniae*, cet,

Eodem anno quo Seneca decassserat, natus est etiam Cordubae ejus nepos M. Annaeus Lucanus. Adulescens Romam adductus, magistros habuit Remmum Palaeomonem et Annaeum Cornutum, condiscipulos vero Persium aliosque summi ingenii viros.

Lucius Seneca ab exilio revocatus, juvenem erudiendum suscepit una cum Nerone cuius praceptor fuerat renuntiatus. Ambo juvenes pari aetate, parique versuum confiendorum studio, magna inter se amicitia conjuncti sunt, quam postea Nero, imperator electus, sancivit, et amicum quaestura aliisque honoribus cumulavit. Lucanus prima ingenii experimenta dedit in Neronis laudibus quinquennali certamine. Non diutamen permansit in gratia. Nam, ut ait Suetonius (in vita Lucani) "ad extremum paene signifer Pisonianae conjurationis exstitit: multus in gloria tyrannicidarum palam praedicanda, ac plenus minarum; usque eo intemperans, ut Caesaris caput proximo cuique jactaret. Verum detecta conjuratione nequaquam animi constantiam praestitit. Facile enim confessus, et ad humillimas devolutus preces, matrem quoque innoxiam inter socios nominavit, sperans impietatem sibi apud parricidam principem profuturam.

Impetrato autem mortis libero arbitrio, codicillos ad patrem de corrigendis quibusdam versibus suis exaravit: epulatusque largiter, brachia ad secandas venas medico praebuit."

Etsi plena juventute occubuit, sextum enim et vigesimum annum agebat, plura composuit poëmata quae ad nostra tempora minime pervenerunt, ut *Incendium Trojae*, *Lyra Hectoris. Sylvarum libri decem*. Sed immortalitatem est adeptus poëmate epico-historico "*Pharsalia*" in quo Lucanus bellum civile inter Caesarem et Pompejum poëtice narrat, Vergilium imitatus, non tamen eodem exitu.

Inter defectus quibus scatet poëma, interdum pulchritudinis splendores eluent: felix est in descriptionibus, et in rebus vivido colore depingendis tanta gaudet facilitate, ut hodiernorum romanticorum praecessor habeatur. Poëtae Cordubensis *Pharsalia*, hispanicis versibus conversa ab eximio poëta Johanne de Jáuregui (1644), a Menéndez Pelayo reproducta est in *Biblioteca Clásica*.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

# A E N I G M A T A

1. Index sum, sum vexillum, sum sidus, imago.  
Est variata mihi frons? Ero nil nisi-trabs.
2. Subtiles villi saepimus luminis orbem.  
Syllaba praecedit? Rura Sicana vides.
3. Mollis lanugo juvenilia labra decoro.  
Vocali cedit consona prima locum?  
Rex ego Paetulus spe sum delusus inani,  
conjugale tibi foedus, Elissa, ferens
4. Sum vir ego? Perii famosae fraude maritae,  
ultima nox Trojanum cum daret exitio.  
Femina sum? Paulo post infera regna petentem  
Aeneam duxi per loca plena metu.
5. Te jubeo salvere; sed auges si mihi frontem  
litterula, moneo, cautus ut esse velis.
6. Sum verbum? Carmen modulans audire potes me.  
Sum nomen? Tueor teque tuamque domum.
7. Humano latitans in corpore succus amarus  
ira fervescit sollicitante jecur.  
Conduplica frontem, lector! Nascetur Ibera  
urbs, ortum mordax unde poëta trahit.
8. *Produc* vocalem! Maniplus sum robore praestans.  
*Corripies?* Villus sum cutis exiguus.
9. Infelix laevo Phoenissa bis omne nupsi.  
Praefice litterulam! Graeca susurrat apis.
10. Condicionalem quam dicit grammaticorum  
grex, solers lector, delige particulam  
et quod in Euxinum pontum fluit, adjice flumen;  
haud fausti tibi vox ominis exoritur.

11. Nomen idem teneo. Trux quondam regna polorum  
       expugnaturus fratre juvante fui.  
       Saecula fluxerunt. Tibi nunc, pia turba Laconum,  
       funestam stragem proditione paro.
12. Stamina nenda sumus. Si sedem consona bina  
       commutat, oculis valla tenella damus
13. Ad ripas volito mergorque libenter in undis.  
       Voclalis variat si mihi posterior.  
       fasciculus, faciunt quem culmi falce recisi  
       et vinclo juncti, protinus exoritur.
14. Corpore parvus homo Graeco sic nomine dicor.  
       Frons variat? Fio corpore parvus equus.
15. Vento flante furens cum murmure littora pulso.  
       Frons abit? Incedit saucia corda dolor.
16. Sum durus campus. Fruges mihi crede terendas  
       Deinde notam nostris insere visceribus!  
       Urbs fueram. Postquam sum flammis usta, volucrem  
       Nominis ejusdem nigra favilla tulit.
17. Bestia sum petulans; ovium mihi ducitur agmen.  
       Kappa praeit? Sensim ligna vetusta voro.
18. Vox eadem maneo: modo sum faba, sum modo linter.  
       Quae vox sim, lector, si sapis, expedias!

PROF. FR. PALATA, MORAVUS.

*Aenigmata solutiones accipient in numeris qui eorum insertioni in Palaestra subsequentur. Quis ex nostris lectoribus aenigmata divinabit? Nomina publicabuntur eorum qui solutiones mittent.*

# EPHEBORUM EXERCITATIONES

## **PUERI! ADULESCENTES!**

Palaestra Latina, foribus apertis, omnes vestras accipiet compositiones (scriptiunculas-narrationes-carmina-aenigmata cet.). Ad Palaestram omnes accedere potestis. Accedant, ergo, Lycea, Gymnasia, Instituta. Universitates, Seminaria, et non Hispaniae tantum, verum et aliarum nationum. Eas scriptiunculas inter exercitationes scholares inseremus quae, sermone Latino scriptae, exscribi merebuntur. Pueri, adulescentes: nihil intentatum relinquantis ut in Palaestram vestra nomina prodire valeant. Magistros atque professores precamur ut alumnorum animos erigant viamque ipsis ostendant ad compositionum redactionem. Numerum commentarii nostri, cui inserta sit, juvenes, vestra compositio, accipietis omnes. Pueri! Adulescentes! ad arma litteraria.

### **Cura te ipsum, medice**

Praeclarus Plato quondam pulcherrimum sermonem coram magna hominum frequentia pronuntiavit. Graecos postulabat ut dissensiones sedarent atque pax sanciriatur. «*Nihil dulcius, ajebat, pace est.*»

Mirantibus omnibus ejus eloquentiam ac verborum veritatem, subito unus ex audientibus. «*Amice, inquit, mirabiliter de concordia locutus es, utere autem tu ipse tuis monitis. Domi tuae tres estis: tu, uxor et famula; diu tamen noctuque tanta acerbitate inter vos dimicatis ut vicinis molesti sitis. Primum induc domum tuam ad concordiam, deinde redi, et sermonibus tuis obtemperabimus,*»

M. RUIZ, C. M. P.

### **Seria et utilia**

Quo cursum, gradum corripis, peccator? Abi quam primum! Te cadere in flamas aeternas non sentis? Deum iratum non vides? Inconspectu Judicis severi esse te cito venturum, te fugit? In mortis momento, quid tibi proderit morem gessisse cupiditatibus? Est cur prae metu trepides. Operaene pretium erit te fuisse in magno nomine atque omnium aestimatione, si in avernum incideris? Noli peccare. Summum est meum desiderium te ex animo talia cogitare. Consule tibi. Faxit Deus ut vivendi rationem quam primum mutaveris, nulla interposita mora. Ne reliquum fac pro virili parte quod tibi sit integrum. In te sunt omnia; vita, aut mors aeterna.

M. MOLINA, C. M. P.

### **Mors Casii**

Devicto apud Actium Marco Antonio, Casius qui fuerat ab Antonio Athenas fugit. Ibi quadam nocte sibi dormienti visus est hominem videre ad lectum adpropinquante; comam ferebat demissam et mentum scabrum. Interrogatus a Casio quis esset: «*Carnifex tuus sum,*» ait. Tam horribili visione perterritus, servos arcessivit, eosque interrogavit an aliquem intrantem aut exeuntem vidissent. Negantibus illis, Casius iterum somno se dedit, iterumque ei visio apparuit.

Paucis post diebus, a Caesare morte multatus est.

ALOISIUS TROL, C. M. P.

## Impudentia punita

In ipso trahaculi loco, inter alios viatores, sacerdos atque mulier iter faciebant. Haec male de religione coepit loqui, asserens omnes catholicos tyrannos esse vel fuisse. Sacerdos facebat. Mulier, silentio sacerdotis tumescens, ab eo quaesivit: cur non loqueris? Tum sacerdos: «dum asina, inquit, *Balahami loquebatur, propheta silebat.*

J. CEMBORAIN, C. M. P.



Lectores, nomen nummosque adferte PALAESTRAE,  
Sic gratum patriae perficietis opus.

M. RUIZ.

## Puer et ecce heros

Milites, signo recipiendi dato, sese receperunt, detrimentum enim ex bello cuperant. Quinque milia in hostes bellum intulerunt at quingenti saucii atque moesti viderem refrebant. Nonnulli patriam prodiderant et tempus cuperant ut versus castra inimica fugerent. Nostri, cognita proditione, pleni rabie in inimicos impetum fecerunt; attamen numerica hostium praetantia, qui arma subtraxerant, vicit eos et quingenti qui praelio superfluerant, in castra pervenire valuerunt. Martinulus, juvenis traditionis miles, qui cum patre manece noluerat, quia is cum hoste manum non conserebat, fraterculum cepit, et cum vesperasceret, occasionem cepit ut inter nivem se fugae daret. Parum profugus vixerat cum eminus vox clamavit: *¡Siste!* Juvenis in dumoso loco latitavit. Cum tempus longum jam cucurisset fratri suo: *“Ora pro nobis ait Virginem a columna. Jam poterimus voti compotes fieri”*. Quo dicto, animus ei accessit et cursum tenuit. Sol oriebatur. Juvenis dixit: *“Videre mihi videor milites Hispaniae.”* Et ad exitum festinavit. Milites se obviam juveni tulerunt et Martinulus operimentum fraterculo suo detraxit. Arbitrans illum dormice, eum quasi cribans, dixit: *“Excita te ex somno, jam enim pervenimus”*. Medicus accedit et: *“Supremum diem, ait, obivit; frigore necatus est”*. His dictis, omnium ora moestitia palluerant. At juvenis, cui corpus quidem pueri erat sed herois anima, magna voce dixit: *“Pro Deo et pro Hispania, frater, praesens”*. Quo dicto brachium levavit salutans patriam atque fraterculi sui cadaver Postea cum memoria tenebat matrem jam morituram exemplum Christi in Cruce parcantis se docuisse, teneri non potuit quin Deum pro inimicis suis oraret, haec cogitans: *“Homo ad Deum nulla re proprius accedit quam cum ignoscit”*.

CANDIDUS PALACÍN, C. M. P.

# BIBLIOGRAPHIA

**E. ECHAURI,** «Diccionario Manual Latino-Español». —2.<sup>a</sup> Edic. Sevilla. Ediciones clásicas 1939.

Hoc opus, si mole parvum, utpote parvulis aetate ordinatum, magno re vera est pondere, utpote ab auctorato magistro confectum. Quo etenim Eustachii nostri, Institutoris clarissimi, fama nondum per venerit, cum homo sit omni liberali doctrina peritus et linguis tam fodiernis quam antiquis versatissimus?

Quae cum ita sint, optime potuit, ut recie in proemio notat desideratissimus Segala, non tantum simplex enchiridion, sed et totius Latinae linguae Thesaurum ordinare et conscribere hujus operis auctor. Tamen discipulorum utilitati voluit potius consulere quam proprio cognomini et gloriae.

Quod tamen nihil obstat quominus in hoc parvo opere magnum auctoris ingenium colluceat, tum in verborum selectione, tum in eorum sensuum expositione et regimine.

Verba archaica, aut quarundam disciplinarum propria, vel tantum ab auctoribus infimae Latinitatis usitata forte desiderabis; sed tamen hoc dictionario commode uteris ut praecipuos auctores Latinae linguae interpreteris, ut puta Plautum, Terentium, Lucretium, Ovidium, Horatium, Vergilium, Caesarem, Varronem, Ciceronem, Sallustium, Nepotem, Tacitum et Livium.

Dictionarium Hispanum et Latinum aliaque opera scholastica parat Eustachius suavissimus, quae tanti ingenii digna fore speramus.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> JIMÉNEZ. C. M. F.

**FRANCISCUS PALATA,** Anthologia Poeseos Bohemicae latinis numeris aptata. Trebic in Moravia, 1936.

Egregius professor et poeta Moravus Fr. Palata, quem jam antehac noveramus versibus latinis in ephemericibus et commentariis (*Vox Urbis, Scriptor Latinus Juventus, etc.*) qui etiam scripsera Horas subsecivas *Lyram Romanam, Nugas metricas*, nunc demum sexagenarius ab obeundo munere scholastico liberatus, novum traditectoribus libellum, poëmatum nempe boemicorum Latine conversorum, numeris quidem classicis, cui adduntur alienigenarum poëtarum carmina Latine reddita. Totum volumen nondum perlegi, sed ex aliquibus pagellis, quas evolvi, asserere audeo libellum versuum facilitate et ubertate gaudere Ovidiana et latino eloquio vere classico. Quaedam ex parvis

epigrammatibus nostro commentario edenda seligemus.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

**Lope de Vega en Alemania** por Arturo Farinelli. Un volumen. Traducción del Alemán por Enrique Massaguer. Bosch - Editor - Barcelona.

Multis abhinc annis notissimus auctor Arturus Farinelli opus eiusmodi germanico sermone in lucem edidit, quod demun, pulcro consilio et docta manu, Henricus Massaguer in Hispanum vertit, eorum praecipue utilitati qui utriusque linguae, et Germanorum et Hispanorum, alterius in alteram pondus et auctoritatem perpendere, quin et influxum derivare student.

Maxima hujus operis pars, in Grillparzer cum Lope nostro componendo, inmoratur idque quam belle attigerit, ex laudibus nostri M. Menéndez y Pelayo, inter recentiores Hispaniae criticos principis, existiri potest. Tanti viri testimonio lectoribus Farinelli opus satis superque commendatum putamus.

**Divagaciones Hispánicas** por Arturo Farinelli. Dos volúmenes. Bosch - Editor Barcelona.

Barcinonensis editor Bosch, jamdiu de Litteris Hispanis bene meritus, hoc alio Farinelli opere, novum studiosis beneficium confert, adulescentibus in primis nostrarum Universitatibus et Gymnasiorum quibus per pittacia multorum et auctorum et operum notitiam elargitur uti ingenii stimulum in perquirendo, ne pereant, fragmenta quae ex Litteratura Hispanica in aliarum gentium linguis reperiuntur; eoque certe consilio ut exterorum vocibus ea doceamur amare quae alieni non probanda solum verum etiam miranda atque omni imitatione et perscrutatione digna duxerunt.

«Divagaciones Hispánicas» articuli fere periodistici vel contiones sunt, diversis locis temporibusque conscriptae, ceu pretiosi Hispanicae sapientiae lapides, undique collecti, quos nullo pacto neglegi permittet quisquis patriæ terrae decorem ac perfectionem amabit.

Inter alios, postremum secundi voluminis «España y Cataluña», in quo de praestantia linguae Catalaunicae in Litteris, quam veluti Hispaniae patrimonium, non uti secessionis signum, colendam docet, lectoribus notatum volumus.

ANDRÉAS HERRERA, C. M. F.

Imprenta-Litografía de Octavio y Pérez.-Zaragoza